

DISPUTATIONUM ETHICARUM

VICESIMA,

*Qua est*  
QUINTA

DE

VIRTUTIBUS INTELLE-  
CTUALIBUS,

&amp; in Specie

DE

PRUDENTIA JUDICIARIA ET  
DELIBERATIVA*Quam*

Divinâ favente &amp; adspirante gratiâ

*In Insula Academia WITTEBERGENSI,*

P. R. ÆSIDE

M. MATTHÆO RANFTIO  
MISNENSI,*publicè examinandam proponit*

GOTTFRIDUS GRAFF

Pincasfeldensis Austrius.

ad diem 10. Novæ: horis matut;

*in Auditorio Minori.*

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERT, Acad. Typogr.

ANNO cl. Is c. XLIX.



*R. Strack*

1649

GRAND PRIX DE LA SOCIÉTÉ  
D'ÉCONOMIE POLITIQUE

VIRTIUTIBUS INTELLECTUS

FRUITUS VITAE MORALIUM ET  
PHILOSOPHIAE


BCU Cluj / Central University Library Cluj



ANNO DOMINI MDCCLXXII

IN CLUJ

Handwritten scribbles or marks at the bottom left corner of the page.




J. N. J.

Sis serpens oculo *prudenti*, corde columbam,  
 Innocuo refer, ut PACE fruare DEL.  
 Ingenuas meritò quæris, GOTTFRIDE, per artes  
 Hos oculos & cor simplicitate micans.  
 Huc bene Leucoridum quòd ducat cura, fateatur  
 Quæ modo doctrinæ das documenta Tua.  
 Sed tamen ingenuæ Pietas nisi juncta sit arti,  
 Nec prudens verè, nec bonus esse potes.  
 Perge igitur *primùm* meditari jussa Tonantis,  
 Postea verfabis Cæsaris acta manu.  
 Sic, GOTTFRIDE, Dei dum viues, pace fruëris,  
 Sic Tua verba Foro pabula pacis erunt.

BCU Cluj / Central University Library Cluj

*Quod amico dilecto precor*

MATTHIAS LANGIUS,  
 Sempronio-Hungarus, Eccle-  
 siæ Witteb. Diaconus.



*Ad Præstantissimam & Doctissimam.*

DN. RESPONDENTEM,

Fautorem & Amicum meum hono-  
randum,

Judicium prudens faciant quæ Judicis esse,  
 Sano præstantem consilioq; Virum;

Hæc

Hæcce docent, quæ propugnans, Doctissime GRAFFI,  
Themata, conscendens pulpita Leucoridos.  
Gratulor egregios, quos spectat Leucotis ausus,  
Atq; ferant Patriæ commoda multa, precor.  
*scrib.*

M. MATTHÆUS RANFTIUS,  
Præses.

**U**T valeat tandem latari divite messe  
Cultor agri, semper sedulus urget opus.  
Non aliter, GRAFFI, sperans cum tempore fructus,  
immò, non tantum specula, fructus adest.  
Fructus adest, claris quando, de ponte cathedræ,  
de rebus, claro pectore, clara refers.  
Pergito sic, GRAFFI, svtos curare labores  
qui restat major, spondeo, fructus erit.

*Id quod sinceri affectus testamen-  
esse voluit*

AUGUSTINUS UBERUS  
Vratisl. Siles.

**D**E Prudentiâ Legislatoriâ actum est disputatione proximè præcedente; sequitur jam ut de Prudentiâ Judiciariâ & Deliberativâ breviter quoque agamus. Sicut enim salus Reipublicæ primò in eo posita est, ut leges optimæ ferantur; ita secundo eadem in hoc vertitur, ut secundum leges optimè latas rectè administretur, quod fit 1. Leges juxta mentem Legislatoris explicando, & sicubi ex illarum præscripto propter generalitatem civium causæ decidi non possunt, æquitate illarum defectum supplendo. Hinc olim iudices & Reges jurabant, se non tantum secundum leges, sed etiam τῆ γυναικὶ δικαιοσύνη καὶ ἀρεσῆ, i. e. æquo & bono iudicaturos *Stob. Serm. 42. Xenoph. lib. 1. Cyropæd.* ut supra in doctrina de Jure & æquitate id explicatum est. 2. Mature de illis quæ ad conservandum & amplificandum Rempublicam faciunt deliberando. Hæc autem duo: rectè iudicia exercere & salutaria Reipublicæ & conservacione & amplificatione consilia capere ex Prudentiâ Judiciariâ & Deliberativâ haurienda sunt.

§. 2. Primò de Prudentiâ Judiciariâ agendum est. Ubi initio notetur & Ethicæ & Juris Consultum de illâ tractare; sed non eodem modo: Ille enim communia tantum circa hanc materiam, hic verò particularia pertractat. Deinde ille id tantum proponit & tradit, quod hac in re est juris naturalis & apud omnes populos & nationes servari debet: hic verò tradit ea, quæ jus civile Legi Naturæ addidit, quod non ubiq; sed in certâ tantum Republicâ, v. g. in Republicâ Romanâ valet, ut leges civiles. Ut autem Prudentia Judiciaria melius & facilius intelligatur, Essentialia prudentis Iudicis requisita sunt ponenda & distinctè explicanda, quæ tria esse videntur. 1. Publicâ autoritate iudicium exercere. 2. Amo-

re justitiæ id peragere. 3. Secundum rectam rationem pronun-  
ciare. His enim tribus, ut judex legitimus & prudens  
in suo esse constituitur, ita quoque hæc tria simul juncta ju-  
diciū legitimū constituunt: Contrā verò si hæc requisita  
absunt, ut judex illegitimus, sic etiam judiciū illegitimum  
est. Si verò primum requisitum deest, judiciū usurpatum;  
si secundum; injustum; si tertium temerarium esse rectè sta-  
tuitur. Singula requisita distinctè explicanda sunt.

§. 3. Ut ad quemvis ita maximè ad Judicem prudentem  
requiri publicam auctoritatem potestatemq; facile ostendi-  
tur, cum judex sit tanquam lex quædam particularis anima-  
ta: *juxta Aristot. lib. 5. Eth. cap. 4. το ἴπὶ τὸν δικαστὴν ἵναί, ἵναί ἴπὶ  
ἐπὶ τὸ δίκαιον, ὁ γὰρ δικαστὴς βέλτεται εἶναι εἰς δίκαιον ἐμψυχον.*  
i. e. judicem adire est adire jus ipsum: Judex enim vult esse  
jus quoddam animatum. Jam verò cum lex omnis δύναμις  
ἀναγκαστικὴν, i. e. potestatem cogendi habeat, etiam judex  
quia lex quædam animata est, potestatem cogendi obtineat  
necesse est: qui itaque hanc potestatem non habet, eam nec  
potest aut debet sibi sumere, neq; ordinariè, ut Prætores in  
Republ. Romanâ; neque per commissionem ut judices dele-  
gati. Patet itaq; omnem judicem jurisdictionem habere de-  
bere vel supremam & independentem, ut Supremus Judex,  
vel ab hoc dependentem & alteri concessam, ut Judex à su-  
premo Magistratu constitutus, qui loco summi illos qui pote-  
stati ejus subjecti sunt, judicare potest. Ubi tamen non ne-  
gandum est, posse aliquem etiam sibi propriè non subjectum  
non rarè judicare, in duobus potissimum casibus. 1. Cum duo  
litigantes sibi capiunt arbitrum, cujus arbitrio sese subjici-  
unt & in eo acquiescunt. Tales erant Simo & Crito qui am-  
bigentes de finibus Chremetem vicinum suum ceperant ar-  
bitrum, ut est in Heautontimorumeno Terentiana *Act. 3. S. 1.*  
item Menaleas & Damoetas inter se cantando certantes sibi  
petunt arbitrum Palæmonem, in cujus judicio uterq; acquie-  
scere vult. *Virg. Ecl. 3.* qui tamen cum vim cogendi partes liti-  
gantes non habeat, plenariam jurisdictionem in ipsos non  
obtinet. 2. Cum quis alterius potestati non subjectus in lo-

eo, qui alterius jurisdictioni subjacet, delictum committit, eo ipso fit iudex ejus superior: in quo enim loco quis delinquit, in eo potest ob delictum puniri.

§. 4. Deinde ad iudicem requiritur, amor justitiæ, qui in eo potissimum positus est, ut iudicium exerceat *ἀνεπισημοπολησίας*, i. e. sine personarum acceptatione. Sic enim inæqualitas ad æqualitatem est redigenda in iudicio, quod fit potissimum in rebus commutandis & in contractibus tam voluntariis quam invitis, ut supra id in doctrinâ de Justitiâ Commutativâ ostendimus. Contrâ verò si Actoris vel Rei personam acceptamus & alterutri plus adjudicamus quam ei debetur, iudicium non integrum sed corruptum fit. Ita Moses in Republicâ Israelitarum præcepit iudicibus constitutis à se super populum, ut justè judicent sine respectu personarum, cum *Deus. cap. 1. v. 16. 17.* sic loquitur: Et præcepi iudicibus vestris in tempore illo dicendo: Audite inter fratres vestros & iudicate justitiam inter virum & inter fratrem ejus, & inter peregrinum ejus. Non agnoscetis faciem in iudicio, sicut parvum sic magnum audietis, non timebitis à facie viri: quia iudicium Dei est. Talem iudicem fuisse Samuelem testatur coram Domino & unctò ejus, Populo Israelitico, quod etiam populus ipse testatur, ita enim ad populum dicit *1. Sam. 12. v. 3. 4. 5.* Ecce adsum, respondete in me coram Domino & coram unctò ejus, utrum bovem cujusquam tulerim & asinù cujusquã acceperim, & cuiquã vim intulerim & quẽquã contriverim, & de manu cujusquã pretium acceperim & occultaverim oculos meos in eo & restitui vobis: Et dixerunt: Non intulisti vim nobis, nec contrivisti nos, neque tulisti de manu cujusquam quippiam. Dixit ad eos: Testis Dominus adversus vos & testis unctus ejus die hũc, quod non inveneritis in manu meâ quippiam; & dixit: Testis. Et hoc etiam intellexerunt Ethnici saniores: Ita enim Demosthenes in Republicâ Atheniensium de iudicibus dixit: τὸν δικαστὴν ταῦτ' ἐστὶ μὴ διήησσι δίκαιον εἶναι κατὰ χάριν μηδὲ μὴ κατὰ μῆτι ἀνδρῶν ποιεῖν, ἀλλὰ κατὰ τὸ δίκαιον, ἢ τὸ δίκαιον κατὰ τὸν ὄγκον, i. e. A iudicibus hæc etiam non rogantibus præstari æquum esse,

ut neq; gratiam ullam, neque virum pluris faciant, quam æ-  
 quitatem & jusjurandum. Et tales procul dubio Judices in  
 Areopago fuisse videntur: cum eâ de causa *ἀντιπάλους ἡγή-  
 ῳγοῦναι* causæ perorarentur, & quidem noctu quo omnes  
 perturbationes excluderentur. In Republicâ Romanâ inter  
 alios egregiè hoc præstitit L. Quinctius Cincinnatus Con-  
 sul ingenti omnium consensu dictus. Hic ab agresti opere  
 agelli sui quem trans Tiberim colebat, in urbem vocatus, si-  
 mul atque Magistratum iniit, nihil prius aut antiquius habuit  
 quam ut tumultu sedato benigne jus summis & infimis & ex  
 æquo redderet. Itaque multas causas jam in veteratas cog-  
 novit, & ex æquo & bono dijudicavit, totâ die pro tribunali  
 ledens, comis adituque facilis, omnes patienter audiens: Jus  
 & merita causarum non personas intuens. Denique tantâ  
 eum laude Magistratum egit, plebi juxta ac patribus carus, ut  
 neque humiliiores oppressi à potentioribus ad tribunal con-  
 fugerent, neque novas leges de jure æquando desiderarent,  
 contenti præsentibus: sed talem magistratum quam ulla leges  
 mallent. Vide *Dionys. Halycarn. l. 10. & Antimachavell. comm.*  
*De Politia p. 67.* Si verò iudicium non ad eum modum ut  
 ex Sacris & profanis jam ostentum fuit, exercetur, non inte-  
 grum sed corruptum est. Hujus procul dubio plura sunt ex-  
 empla quàm justis & æqui. Vnum hic recitabimus ex Ger-  
 manicæ nationis Apophtegmatibus Zinckgrafen. p. 354. quod  
 ita Germanicè refert: In einem alten Büchlein so Anno 1501.  
 zu Nürnberg gedruckt / hab ich folgendes gefunden: Ein Ampt-  
 man an einem ort nam heimlich miedt und gaben. Als nun zweene  
 Bauren irrung hatten / darauß er sie entscheiden solte / schenckte  
 ihm der Kläger einen Ochsen / daß er ihn gülich bedächte. Dieses  
 ward der Answerer innen / schenckte der Amptstrawen eine Behen-  
 ne Kürßen / daß sie gegen ihrem Herrn seine Fürsprecherin were / da  
 nun die Zeit kam / daß der Amptman zu Verhör des Handels nie-  
 der saß / besorgete die klagende Parthey / er möchte des Ochsen ver-  
 gessen haben / ruffte also: Brüll Ochß brüll. Da diß die gegenpar-  
 they hörte / answeret sie:



**Der Ochs kan nicht brüllen / er hat eine We  
Genne Kürschten im Dalse stecken.**

Et hoc modo iudex hic corruptissimus publicè confu-  
sus fuit à partibus litigantibus.

§. 5. Tandem ad iudicem prudentem necessariò quoque  
pertinet secundum rectam rationem sententiam ferre: ad  
hoc duo necessariò requiruntur. 1. Scientia accurata juris se-  
cundum quod res dijudicari debet. 2. Facti de quo partes  
inter se disceptant. Illud requirit exactam legum, statuto-  
rum & consuetudinum laudabilem scientiam; hoc, aliquem  
accusatorem. Non enim ut inquit Festus *Astor. 25. v. 16.* est  
Romanis cõsuetudo damnare aliquem hominem priusquam  
is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, & quidem ac-  
cusatorem vel privatum quempiam qui alterum in iudicium  
trahat: vel publicum qui est Magistratus sive iudex ipse, cum  
factum est 1. notorium vel, 2. in ipso iudicio perpetratum.  
2. accusatorem qui sufficienter factum edoceat per documen-  
torum integritatem testium, sufficientem numerum & dili-  
gens eorum quæ à testibus dicuntur examen. Documento-  
rum integritas est ~~id est testimonium corruptum & falsum.~~  
Corruptum, quale dixerunt contra Christum de templo de-  
struendo & intra triduum reedificando. Falsum, quale Euse-  
bius Nicomediensis cum suis fautoribus ad Imperatorem  
Constantinum Magnum profectus contra Athanasium con-  
stanter dixit. 1. Concilium Tyri habitum iusta æquaque  
de Athanasio decrevisse. 2. Testes adduxerunt in medium  
Theognidem, Marin, Theodorum, Valentem & Ursacium, at-  
que pervaserunt ei, quod Athanasius calicem mysticum con-  
frugerit, multa alia falso in eum commenti calumniis. quod  
volebant consecuti sunt. Nam Imperator seu quod ista  
vera esse credebat, seu quod Episcopus inter se de cætero, si A-  
thanasius è medio removeretur, concordaturos existimabat,  
dedit mandatum ut ad Treverim colendam (quod est oppi-  
dum Galliz ad occasum Solis spectantis) migraret, cui obse-  
cutus Athanasius cõ rectâ se contulit. *vid. Sozom. H.E. l. 2. c. 27.*

p. 438. Testium quoque sufficiens numerus requiritur, qui iure divino ad binarium restringitur. In ore enim duorum aut trium testium consistit omne verum. Et unus testis non respondebit in animam ad moriendum. Num. 35. v. 30. Diligens tandem eorum, quæ à testibus dicuntur, examen debet fieri: nam & hoc saepe falsa testium testimonia detegit. Sicut Daniel duorum testium testimonia contra Susannam examinat, & falsa esse deprehendit, dum unus sub quercu, alter sub rilia Susannam cum adolescente cubâsse dicebat. 9. Facultatem & potestatem reo se defendendi vel per se ipsum vel per advocatum. Id quod & Festus Romanorum præses dicit ad Pauli accusatores Judæos his verbis: Non est Romanis consuetudo, ob gratiam donare aliquem hominem, ut pereat, prius quam is qui accusatur præsentem habeat accusatores, locumque defendendi accipiat de crimine. Et rectè in hanc rem inquit *Seneca in Medea*: Qui statuit aliquid parte inaudita alteri, æquum licet statuerit, haud æquus fuit. Unde Heliastræ iudices apud Athenienses ita jurabant: καὶ ἀνεγασμένῳ τῆν κατηγορίαν καὶ Ἐ δόλολογυμῆν, i. e. accusatorem pariter & accusatum sive defendentem se audiemus. *Demosthen. in Timotheo*, qui æquissimum censet præbere se ipsum æqualem iudicem utrique & communem ἀνεγαστήν. In *Orat. de Coro*: Id quod desumpsit ex hoc præcepto Platonis: Ne iudica nisi utrosque audieris. Hinc Alexander M. controversias audiens, solitus est aurem alteram obturare, ut eam reo integram servaret. *Plut. in Alex.* Processus autem ipse & alia ad iudicium exercendum pertinentia, non ad Ethicum sed ad Politicum vel Jurisconsultum cujusque loci spectant, qui specialia de his tractat. Ex hæcenus dictis fundamentis Prudentiæ Judicariæ natura ex requisitis prudentis iudicis distinctè intelligitur, videlicet quod sit prudentia publica autoritate ex amore justitiæ secundum rectam rationem iudicandi ab aliquo accusatum.

§. 6. Hic jam nobile dubium, quod ad Prudentiam Judicariam tutius exercendam omnino pertinere videtur, breviter

viter explicandum est, videlicet, hoc ipsum: Num iudex secundum acta & probata contra propriam scientiam quam solus habet, judicare possit aut debeat? Hic ob difficultatem, quam hoc dubium habet, autores in eo explicando inter se dissentiunt, quos allegat Dn. Horneus lib. 4. Philos. Moralis cap. 4. in explicatione hujus dubii, illorumque sententias proponit & argumenta examinat. Alii enim pro scientia contra acta & probata innocentem convictum absolvendum; alii pro actis & probatis contra scientiam innocentem convictum condemnandum & nocentem absolvendum; alii innocentem nec condemnandum contra scientiam nec absolvendum contra acta & probata, sed iudici officium iudicandi deponendum esse statuunt. Antequam quid nobis sequendum & statuendum hic videatur exponamus, prius quadam præmittenda sunt, quæ inter omnes Autores de hac re aliis dissentientes certa & extra controversiam sunt. 1. Iudicis esse omnia tentare, quæ per leges & iudiciorum ordinem fieri possunt ad innocentem liberandum, quod potissimum fit per studiosissimam iudicii administrationem & accuratissimum ea, quæ teste de posuerunt, examen de specialibus circumstantiis, fortè enim hoc modo testimonia dubia & incerta reddet. Hoc in Christo innocente primum Pilatus faciebat. 2. Iudici carceres, si absque scandalo & clam fieri potest, apertos esse relinquendos, quo innocens, quem scite talem esse, aufugiat. 3. Inferiori iudici negotium ad superiorem remittendum & reo testimonio suo succurrendum; Supremo verò in causis dispensandum esse, quod pro autoritate sua facile potest. 4. Iudicem persuasum, non licere contra scientiam etiam sufficienter convictum condemnare, peccare contra conscientiam, si id faciat: nam & illi qui secundum acta & probata iudicandum statuunt, contra conscientiam in iudicando agendum negant. 5. Iudicem extra iudicium constituere posse pro scientia sua privata quam solus habet, de iis quæ ipsius arbitrio commissa sunt. De eo enim in iudicio non quaeritur. De his punctis inter autores aliis diffi-

dissidentes non controversantur. His præmissis dubium illud, aliquot conclusionibus dissolvemus, illasque ex jure divino & naturali probabimus.

**PRIMA.** Reus sufficienter convictus contra acta & probata non potest absolvi, nec ad id iudex obligatur, quamvis innocentem esse sciat solus. Quia sic ordo & leges iudiciorum requirunt à lege divina & naturali sive rectâ ratione præscriptus & dictatus. A lege divina: quia secundum hanc in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum *Deut. 17. v. 6. cap. 19. v. 15. Matth. 18. v. 16.* quæ lex non tantum de causa sanguinis sed de quacunque valet, ut manifestum est *ex cap. 19. Deut. v. 15.* ubi ita ponitur: *Non stabit testis unus contra aliquem quicquid illud peccati & facinoris fuerit: Sed in ore duorum aut trium testium stabit verbum.* Et *ex Matth. 18 v. 16.* ubi eadem lex allegatur de qualibet fratris offensâ sive peccato. A lege naturali & rectâ ratione: quia iudex quis & testis simul esse nequit: Si autem iudex reum sufficienter convictum, quem solus innocentem esse scit, contra acta & probata absolveret simul iudex & testis esset: testis, dum solâ suâ scientiâ hunc innocentem esse testaretur: Iudex dum ob solius suæ scientiæ testimonium contra acta & probata absolveret. Certa itaque est prima conclusio, reum sufficienter convictum contra acta & probata non posse absolvi, nec ad id iudicem, licet solus innocentem sciat, obligari.

**SECUNDA:** Iudex inferior remittat causam ad superiorem, si fieri id cum commodo rei potest. Et hæc ex lege divina & naturali certa est. *Ex divina:* quia *Deut. cap. 17. v. 8 9.* expressè dicitur: *Si difficile apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, plagam & plagam, & iudicium intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem.* *Ex Naturali:* quia Jethro homo gentilis in consilio, quod Mosi genero suo de commodiore ratione iudicandi

dicandi populum per tribunos, centuriones, quinquagenarios & decanos dedit, & hoc ex rectâ ratione addit: Quicquid autem majus fuerit, referant ad te & ipsi minora iudicent. *Exod. 18. v. 22.* Quid? quod omnes ferè autores aliâs circa præsens dubium dissentientes in hoc conveniant: iudici inferiori causam ad superiorem remittendam esse. In quo autem omnes vel plerique autores aliâs inter se dissentientes consentiunt, id ex communi naturæ dictamine sumptum esse dubium non est, non secus ac Aristoteles dicit de Veteribus Philosophis, inter se de principiis rerum naturalium dissidentibus, Omnes, inquit, quamvis sine ratione ponant, tamen contraria esse principia pronunciant, tanquam ab ipsa veritate coacti. *1. Phys. tex. 48.* Supremus verò iudex potest ipsum absolvere vel saltem in causâ dispensare.

TERTIA: Quoties iudex cogitur iudicare non peccat si secundum acta & probata iudicet, cum hoc ipsum officium requirat. Habet enim pro se legem divinam & naturalem prima conclusione allegatam. Nec sic reo sufficienter convicto à Iudice fit injuria, sed vel ab iis, qui fallunt testimonium dederunt: vel etiam quod humanorum iudiciorum ingenium ejusmodi sit quæ rectius institui non possant, quam exactis & probatis. In quam rem rectè scribit *Thomas in Epist. ad Rom. cap. 20. l. 1.* Hominis iudicium, etiam si iuste iudicetur, non semper est secundum veritatem negotii; sed secundum dicta testimonium, quæ quandoque dissonant à veritate. Hæc de reo sufficienter convicto contra acta & probata non absolvendo, licet iudex solus sciat ipsum innocentem esse, dicta sunt. Ex quibus etiam facile patet, quod iudex qui secundum acta & probata iudicare tenetur, ut probatum, nocentem sufficienter non convictum absolvere possit, licet ipse solus sciat nocentem esse. Hæc breviter de illo dubio nobili hæc vice sufficienter.

§. 7. Tandem ad vitam rectè instituendam & Rem publicam bene gubernandam non tantum legum ferendarum & iudiciorum juxta latis exercendorum scientia, sed & facultas

rectè deliberandi de rebus illis & discernendi ea, quæ & ad  
Rempublicam conservandam & ad singulorum civium com-  
modum ac vitam tranquillam procurandam faciunt, requi-  
ritur. Hinc rectè Sallustius ad Cæsarem de Republica ordi-  
nanda: Ego ita comperi omnia regna, civitates, nationes  
usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera  
consilia valuerunt. Ubique gratia, timor, voluptas ea  
corrumpere, post paulò imminutæ opes, deinde ademptum  
imperium, postremo Servitus imposta est. *Et Aristot. in Rhet.*  
*ad Alexandrum* ad hanc sibi comparandam hortatur his ver-  
bis: τὸ βουλευεῖσθαι τῶν πρὸς τὸν αἰθροῦσι θεόπιστα ἔστι, ὡς οὐκ εἰς  
τὰ πείρησα καὶ μηδέναις ἀξία τὴν ἐπιβολὴν ἔστι σοὶ καταναλωτὸν  
ἀλλὰ τὴν μητροπλῆν αὐτῆν ἔκαλλας βουλευεῖσθαι μάθαι βελήτων.  
σὺ γὰρ θῆ ποῖ ἂν ἀμφισβητήσεις τῶν ἔχόντων ὅτι τὸ ἄλλο πρᾶτ-  
τεν μὴ βουλευομένων σημείον εἶναι ἀνοίας, τὸ δὲ κατὰ τὴν ὑψηλοῦς ἔ-  
λόγη, i. e. Rerum est humanarum augustissimū consulatione  
uti: Quare non in supervacaneis & vulgaribus rebus studium  
tibi terendum est, sed pro virili potius parte elaborandum, ut  
ipsam bellè consultandi artem & perdiscas & teneas. Quis  
enim sanæ mentis dubitavit, si quis inconsulto quid egerit  
amentia quidem, si autem ratione ducere sapientiæ signum  
esse? Patet ex his Prudentiæ deliberativæ maxima necessitas  
& utilitas in Republicâ. De illa ergo etiam breviter agen-  
dum est.

§. 8. Hausratur autem Prudentia Deliberativa ex tribus:  
1. ex accurata & solida scientia Ethicæ. 2. Politicæ. 3. Histo-  
ricæ. *Ex illa*, quia cum de virtute, vitâ omni ejusque ultimo  
fine rectè sentiat, virtutem & honestatem tantoperè amet, ut  
actionibus exprimere studeat, etiam procul dubio recta & sa-  
lutaria Reipublicæ consilia vel saltem horum fundamenta  
suppeditabit. Ut enim solum honestum revera est utile:  
Ita quoque consilium quod solum honestate nititur, revera  
utile erit. Meritò enim cum Platone indignamur illi, qui  
primus honestum ab utili separavit. Consilium ejusmodi  
honestum & rectum dabant Achivi Agamemnoni duci de Fi-  
liis

lib. Chryſæ Sacerdotis Apollinis Patri oranti & pretium liberationis offerenti, reddendâ; quod quia Agamemnon utile sine honeſto ſpectans, reſpuit, toti Græcorum exercitus vehementer nocuit, pecudum pariter & hominum peſſilentia ob id ab Apolline immiſſâ. *vid. Hom. Iliad. 1. Ex ſi. 1.* quia hæc, ſcilicet Politica, optima quæque de Republicâ feliciter gubernandâ monita ac præcepta tradit, quæ omnium gentium ſapientes viri invenerunt & longâ experienciâ confirmarunt. Id quod in libris ſuis Politicis egregiè præſtitit Ariſtoteles, qui ſua Præcepta Politicæ non in ſuo cerebro, ut Plato ſuam Rempublicam ſinxit, ſed ex centum & quinquaginta octo Rerumpublicarum vetuſtiſſimis Scriptoribus formavit, ad omnem Rempublicam quæcunque illa ſit, conſtituendam, ad miniſtrandâ & conſervandam, ac collapſam reſtituendam, aptiſſimâ. Hinc de Ariſtoteſis hoc ſtudio Cicero graviffimus autor *lib. 5. de ſnibus* rectè ſcribit: Omnium ſerè civitatum non Græciæ ſolum ſed etiam Barbariæ ab Ariſtotele, mores, inſtituta, diſciplinæ: à Theophrasto etiam leges cognovimus. *Ex hæc, i. e. hiftoriâ*: quia omnium rectè ſentientium iudicio unicuique *lib. 1. de ſnibus* utile eſt. *lib. 1. de ſnibus* hanc rem *Ariſtot. lib. 1. Rhet. cap. 4.* Utile eſt ad legum lationes non ſolum intelligere, quæ Reipublicæ proſint, cum ex præteritis aliquis contemplatur, ſed etiam quæ ſunt apud alios ſcire, quales qualibus congruant. Quare maniſeſtum eſt ad legumlationes terræ peregrinationes utiles eſſe. Hinc enim accipere licet gentium leges: ad civiles verò deliberationes, eorum qui de actionibus ſcribunt, hiftorias. Omnia autem hæc Politicæ non Rhetoricæ munus ſunt. Livius quoque eleganter de hiftoria ita loquitur *lib. 1.*: Omnis exempli documenta in illuſtri poſita intueberis, ut inde tibi ræque Reipublicæ quod imitere, capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites. Prudentia itaque deliberativa ex his fundamentis tribus petita optima erit & civibus Reipublicæ ſaluberrima: Contra verò ſi fiat, nihil ſolidæ prudentiæ continet, & Rempublicam non conſervat, ſed paulatim labe-

labefactat. Exemplo fit civitas Thebana, quæ ubi consiliis Epaminondæ regebatur, cæteris civitatibus imperabat, sed mortuo Epaminondâ ejus opes sunt debilitatæ, deinde imperium ablatum, & aliis semper paruerunt. Cætera de consiliis capiendis speciosa monita servanda, & quæ in illis vitanda sunt impedimenta, ad Politicam spectant ubi de Senatu agitur.

§. 9. Ex dictis fundamentis Prudentiam deliberativam ita definimus: *Prudentia Deliberativa est facultas rectè delib-  
randa & decernenda ea quæ ad singulorum civium totiusque Reipubli-  
cæ salutem faciunt.* Tantum de Prudentiâ Judiciariâ & Deli-  
berativâ dictum fit.

## SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

BCU Cluj / Central University of Cluj

